


Rev. Concilii Universitatis Rostochiensis scitu ac decreto, Programma publice propositum, Quo De Suo Officio Docentes Fideliter Pollicentur, & Discentes fevere admonentur, Cui subiunguntur De Lectionibus, singulis semestribus absolvendis, Leges, & praesenti aestivo semestri proponendis Catalogus


Rostochi[i]: Pedanus, 1615

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734364326>

Druck Freier  Zugang







DEI OPT. MAX. DUCTU ET
AUSPICIO,
ET REV. CONCILII UNIVERSITATIS RO-
stochiensis scitu ac decreto,
PROGRAMMA
publicè propositum,
QUO DE SUO OFFICIO
DOCENTES FIDELITER POLLICEN-
tur, & Discentes severè admonentur,
Cui subjunguntur DE LECTIIONIBUS, singulis semestri-
bus absolvendis, LEGES,
& præsentis æstivo semestri proponendis
CATALOGUS.
Jerem. 48. v. 10.
MALEDICTUS, qui facit opus Domini fraudulentè.



ROSTOCHI
Typis JOACHIMI PEDANI, Anno 1615. 4. Junij.



RECTOR ET CONCILIUM UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS.



*Verumadmodum omnium
Rerumpublicarum, sic etiam Schola-
rum & Academiarum status tum
demum felix & beatus est, cum Ma-
gistratus rectè imperat, & subditi re-
ctè parent, Cum docentes ritè du-
cunt, & discentes ritè sequuntur.
Cumq; adeo praeceptores sine invidia
docent, & discipuli sine pudore di-
scunt. Et hac adeò fuit illa felicitas, quã patrum nostrorum,
& ex parte etiam nostrã etate, cum vicina alia Germania Aca-
demia, tum verò, & cum primis, hac nostra viguit & floruit,
& sua hujus felicitatis fertilitatis, ac fecunditatis fructus in
vicina regna, regiones, opida, & urbes uberrimã copiã veluti
Amalthea aliquod cornu, de quo Poëta fabulati, profudit. Sicut
autem omnium rerum mortalium, ita hujus etiam felicitatis
certa quadam & fatales videntur fuisse Periodi, de quibus meri-
tò Herodoti illud usurpare liceat: Quod Circulus sit rerum hu-
manarum, qui non permittat eosdem semper felices esse. Cer-
tè illa felicitas, qua nobis cum multis alijs communis fuit, jam
nos reliquisse, & vel ad alios transiisse, vel omnino jam evanuisse
videri potest. Utrius autem partis discentium, an verò do-
centium*

sentium culpâ hoc ipsum huic Academia accidat, fortè non im-
meritò ambigi possit. Utriusq; certè partis hic aliquam cul-
pam esse, satius fortè fuerit confiteri, quàm illud negare, quod li-
quidius omnibus patet, quàm si Solis radijs scriptum aut pictum
esset. Et plerumque mortales suas sibi fortunas utrinque fabri-
cant, ut ad illas ab hac parte ferrum coquat, ab illâ cudatur.
Majorem tamen hic culpam esse dicentium nemo nisi impuden-
tissima & perfrictissima frontis homo negaverit. Notum enim
est, quid in hac Academia ante undecim annos à parte Docentium,
Rectoris, & totius Senatus Academici unanimi omnium con-
sensu decretum & constitutum fuerit in Sacrosanctis illis Legibus,
de Lectionibus, Disputationibus, alijsq; ad virtutem & erudi-
tionem acquirendam exercitijs, à nobis latis. Quibus Professo-
res omnes & singuli, qui in hac Academia plures sunt, quàm in
ullâ aliâ Germania, ad fidem & diligentiam, & ad officium
suum sine dolo & fraude peragendum, etiam sub certâ voluntariâ
pœnâ se devinxerunt & obligaverunt. Et quas, ne quis igno-
rare possit, easdem recusas & huic Programmati subjunctas de-
nuò publici juris facimus. Hisce nimirum legibus illo tempore
latis & hoc tempore denuò confirmatis, DEO, & toti mundo, &
omnibus in illo bonis fidem & conscientiam nostram probare vo-
luimus, & eosdem testes vocare, Academia nostra, cui sanctissimo
sacramento singuli obligati sumus, incremento, salute, & omnium
in illâ discipulorum sperato studiorum successu, nihil nobis prius,
nihil potius, nihil antiquius esse & fuisse. Exemplo nullibi forte lo-
corum in ullâ Europa Academia usurpato, nec hactenus uspiam
fando audito, Quod citra arrogantiâ verius quàm confidentius,
(cum non nisi quod debuimus fecerimus) de nobis pronuncia-
mus. Nec hosce nostros conatus à parte nostrâ penitus suo spe-
rato fructu caruisse, meritò conqueri possumus. Quamvis enim
fortè non defuerint, apud quod hæc leges non illud pondus invene-
rint, quale ipsa suâ naturâ merebantur, quicq; quod illa exigant,
& ipsi

Et ipsi debebant, siue ad obedientiam siue ad penam, se illis conformes per omnia fortè non gesserint: Non defuerunt tamen contra alij, qui sui officij, sui sacramenti probè memores, summum piaculum duxerint vel latum unguem ab illarum norma recedere, sed debitam ijs observantiam vel ad obedientiam vel ad penam sanctè præstiterint, Et vel totius semestris Et amplius stipendio carere maluerint, quàm violatarum legum culpà conscientiam suam sauciare. Hasce leges ad gloriam DEI, Et hujus Academiae salutem latas, Et hætenus utcumq; servatas, ut imposteriorum per DEI gratiam strictius Et rigidius in omnibus suis punctis Et clausulis seruentur, unanimi omnium totius Concilij consensu, conspirantibus suffragijs decretum Et constitutum, earumq; justa Et severa executio sine ullo personarum respectu de suo cuiq; semestri pro tempore Rectori demandata fuit. Præterea, ut non solum de fide Et diligentia præceptorum suorum discipulis ingerere consuet; verum ydem etiam intelligant, quid de singulis sibi promittere Et expectare debeant: Simul etiam iisdem totius Concilij suffragijs decretum fuit, ut Catalogus Lectionum publicarum, (quod hætenus diu intermissum) imposteriorum singulis semestribus typis exscriptus publicè adfigatur. Et cuius rei hodierno die, quod ille Auctor Et Conservator omnium piarum Scholarum Et Academicarum, Deus optimus Et maximus, huic Academiae felix faustum Et perpetuum esse velit, hodierno die facimus initium; Et, quod, cum Deo, hodiè capimus, quàm diu in hac statione vivimus, pro virili singuli continuabimus, Nulli dubitantes posteros nostros eadem diligentia, fide, Et conscientia nos in hoc stadio, cuius meta est Gloria DEI, Et salus hujus Academiae, secuturos esse.

Huic præceptorum docentium fidei, (quam, quotquot boni sumus, volente ac iuvante Deo, citius præstabimus, quàm pollicemur,) Si studiosorum quoq; Et discipulorum diligentia ab alterâ parte respondeat, nihil, procul dubio, impediet, quo mi-

us Academia hac, per DE I gratiam, ita vigere incipiat, ut paulo post illa rursus florentissima potiamur. In Academiam hanc qui pium recte vivendi, & in studijs proficiendi propositum secum adduxerint, nihil, volente DE O, desiderare poterunt. Urbs loci opportunitate & amantate vicinas plerasq; superat, certe nulli illarum cedit, & quotidie non obscura incrementa capit. Aër si qui, quam alibi, saluberrimus. Victitandi ratio non incommoda, & satis tolerabilis, etiam pro illis, qui in re & parte non nimis lautâ. Sic ut neq; ad corporis sustentationem, neq; ad animi culturam quidquam rerum necessariorum, per DE I gratiam, deesse hic cuiquam possit. Gravissimam aliquando DE O rationem reddent, qui, cum ad omnia optima & salutaria nihil illis defuerit, ipsi sibi defuerunt. Hâc enim tantâ commoditate quomodo apud nos hactenus perfruantur studiosi non nulli, in hâc pagella angustiâ non est conquerendi locus. Utinam cum Apostolo verè dicere possemus: Vetera praterierunt, Ecce nova facta sunt omnia. Ut autem vetera & praterita, qua à tergo sunt, & à fronte denuò statui ac mutari nequeunt, rectè relinquamus; de futuro, quod nobis dignum est, & nostri officij, singuli sedulo, cogitemus, & quod dicitur, HOC AGAMUS. Et quoniam Professores in nostro officio nihil quicquam desiderari, juvante Deo, passuri sumus: Aequissimum sanè fuerit, vos etiam studiosos idem facere. Tria hominum esse genera Hesiodus prodidit, & quotidiana experientia demonstrat, quorum optimi, qui suâ sponte & ultro faciunt quod rectum est; Quibus proximi, qui bene monentibus rectè obtemperant. Inutiles autem & pessimi illi sunt, qui nec ipsi sapiunt, neque alijs sapientioribus obediunt. De illis & istis meritò nobis gratulamur, & optima quæque pollicemur. Hosce verò duris propositis pænis vel in ordinem redigemus, vel ex ordine nostro, quem turbant, penitus profligabimus, & omnia excedere, & exulare jurebimus. Et principio quidem, cum intelligamus esse plurimos, qui tanquam fuci se nostris alvearijs

inge-

ingerant, & cum alijs studiosis eodem convivio & contubernio u-
tantur, etiam in illorum mensis, qui nostri ordinis sunt, tolerantur
& foveantur, qui non sunt inscripti; & omnem petulantiam &
nequitiam passim exercentes accusati comparere & suo se magi-
stratus sistere detrectant; Eos monemus & jubemus severissime
ut intra octo proximos dies nomina sua professi juramento Acadē-
mie praestito se actualia Academia membra esse & fore declarent;
aut eorum nomina ad valvas Academiae publico Programmate,
ut haecenus cum talibus agi consuevit, adfixa non solum palam
significabimus tanquam fucos & spurios ad nos non pertinere, ve-
rū idem etiam in illorum Patriam ad parentes, tutores, & pa-
tronos perscribemus. Et ne haec varias minas fore sibi persuade-
ant, brevis & forte opinione sua citius haec sentient, quae malle-
mus illos cavere, quā experiri. Cam etiam experiamur non deesse
alios, qui nomina sua quidem professi, studia interim sua flagitiose
negligant, quotidie Baccho aut etiam infami Veneri litent, & pa-
trimonia sua flagitiose prodigant, nihil minus agentes, quā illud,
cujus causa huc à suis missi sunt. His palam edicimus, nos juxta
leges, quae non frustra latae, quotannis bis publice praeleguntur, curā
illis processuros, ad illorum parentes, tutores, & Patrons in pa-
triam perscripturos, & jussuros, ut illos ad se revocent, aut ulter
illos, tanquam Academia nostra inutiles, indecores, & noxios in
patriam, & ad suos relegabimus. Cumq; hoc tempore nostra
Academia per DEI gratiam illis viris instructa sit, qui studiosae
juventuti in omnibus studiorum partibus per omnia publice suffi-
cere possint, & ultrò etiam velint, nec quidquam illorum, quae ad
juniorū studia promovenda quoquo modo sint necessaria, in posterū
in quoquā desiderand sint: Conclufum jam & decretū est, ut diebus
ordinarijs, quibus Professores Publici docent & legunt, omnia
alia privata exercitia lectionum, disputationum, aut aliorum
exercitiorum prorsus intermittantur, nec ulli penitus imposte-
rum permittantur. Nullum etiam deinceps pro studioso esse ha-
bendum

hendum, nulli impoſterum à nobis abituro Teſtimonium vite & ſtudiorum eſſe conferendum, qui ſub publicis Præceptoribus ſuis non didicerit, lectiones publicas diligenter & ſedulo non audierit, & eo ipſo ſe genuinum hujus Academia ſtudioſum eſſe probaverit, Et qui tale eſt Teſtimonium impoſterum hinc ad ſuos vel alios non adferant, illos eo ipſo ſe apud alios tales eſſe declaratu- ros, qui quod ſui muneris fuerit apud nos non fecerint, & ideo tale teſtimonium impetrare à nobis non poterint. Ideo enim in hanc ſtationem collocati ſumus, & publicis ſtipendijs publici Profeſſores ſuſtentamur, ut ſub nobis præceptoribus noſtro ductu & auſpicio juniores diſcant linguas, literas, artes, & facultates Deo gratas, & humano generi utiles & neceſſarias. Ideo ruruſus juniores ad nos mittuntur, ut ſub nobis legitimis publicis præceptoribus ſuis hæc diſcant, & è limpidis fontibus potius hæc hauriant, quàm è jejunis rivulis, aut lacunis. Neque ad illam rem vicariâ juniorum operâ indigemus, inter quos non deſunt, qui ſibi metiſis ſemitam nondum ſapiunt, & alijs monſtrant viam. Cum ergo à noſtrâ parte Profeſſores nihil, volente Deo, impoſterum in nobis deſiderari paſſuri ſimus, æquiſſimum omnino eſt, vos etiam ſtudioſos à parte veſtrâ præceptorum fidei & diligentie reſpondere, & diſcendi fervore, aſſiduitate, & frequentia præceptorum in docendo ſtadium, alacritatem, & diligentiam accendere & inflammare; & à viris explorata virtutis & eruditionis ad id publice conſtitutis illa potius in honoratis publicorum auditoriorum locis gratis diſcere, quàm in obſcuris privatis conventiunculis, illorum ductu, qui ipſi adhuc ſub præceptoribus diſcere deberent, perperam & non ſine impenſis eadem conari. Quod ſiqui benivole huic ac paternæ noſtræ admonitioni & exhortationi locum noluerint relinquere, illi non ſine damno ſuo ſentient, hæc juſtiſſimas noſtras minas non brutæ è petri fulmine fuiſſe, ſed talia, qua juſto executionis rigore in- delinquentibus

tibus exigenda sint, quæq; satius fuerit cavere, quàm experiri. Harum autem summa est, Ignavos fucos in hac Academiâ non esse tolerandos; Contumaces, qui sui Magistratus Jurisdictionem agnoscere detrectent publicè esse significandos, & ad suos relegandos; Illis deniq; qui publicas lectiones audire, & se hisce decretis conformes gerere recusent, hinc à nobis discedentibus testimonia deneganda esse. Et qualia, qui à nobis abeuntes secum non reportent, illos eo ipso testimonium suæ nequitie, & contumacia ad suos vel alios allaturos, omnibus hæc lectionibus publicè significamus. Eoq; nomine hæc publici juris facimus, & in vicina regna & regiones longè lateq; hæc publicata mittimus, ut de honestissimo hoc nostro proposito & conatu non hic solum, in totâ Germaniâ, sed etiam extra illam omnibus bonis constare possit. DEUS optimus Maximus hosce nostros conatus ad sui nominis gloriam, Academia nostra incrementum, & omnium in illa salutem clementer dirigat; & docentium ac discipulorum studia gubernet, ut ipsi singuli multa grata & nobis salutaria dicere & facere possimus. P. P. Rostochij. Ipsâ Dominicâ Trinitatis, qua incidit in quartum Junij, Anno 1615.



RECTOR ET SENATUS ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS.

Academijs duo summa & præcipua officia divinitus commendata esse scimus, quorum alterum in propaganda Doctrina generi humano necessaria, alterum in Disciplina bona atq; honesta constituenda conservandaq; consistit. Utrumq; verò certis legibus regi
B
necessa-

neceſſe eſt. Nam veriſſimum eſt, quod vulgò dici ſolet, omnes licentia deteriores fieri. Quocirca viri prudentes ſibi iſſis Leges faciunt & præſcribunt, quas communem Reipublicæ ſponſionem magnus Papinianus appellat, quaſi commune placitum voto, conſenſu & velut ſponſione ſtabilitum, idque tantum abeſt, ut de fide & dignitate eorum, qui ſibi Leges conſtituunt, & pœnis vel mulctis adſcriptis confirmant, quicquam detrabat, ut magis autoritatem & dignitatem illis attribuat & addat, cum legibus regimen ſuum ſubmittere ipſo imperio majus ſit, uti præclare Theodoſius & Valentinianus reſcripſerunt. Id nobiſcum conſiderantes & expendentes, Leges infra ſcriptas communi Reipublicæ noſtra ſponſione fecimus, easque nunc publicamus, ne quem illarum ignorantia teneat, & ut de fide ac diligentia, quam Profeſſores in docendo ac diſputando præſtabunt, publicè conſtet.

Prima Lex.

Lectiones publicæ diebus ordinarijs inſtituentur, & ſinguli Profeſſores omnium Facultatum ad minimum lectiones quinquaginta ſingulis ſeſtribus recitabunt, & ſi quid diebus ordinarijs neglectum ſit, id diebus extraordinarijs reſarcient & ſupplebunt. Pro intermiſſis ſingulis Lectionibus Thalerum ſolvent. Cum emeritis, morbo ſontico oppreſſis, vel Reipub. cauſa abſentibus, pro ut Reverendo Concilio viſum fuerit, diſpenſabitur.

II.

Diſputationes anniverſariæ in ſingulis Facultatibus ſecundum earum ordinem quotannis habebuntur, qui ea in re negligens fuerit, decem Thaleris mulctabitur. Emeritis, morbo ſontico impeditis, vel Reipub. cauſa abſentibus, per ſubſtitutum ejuſdem Facultatis Profeſſorem ex Reverendi Concilij decreto, ſuper ea re interpoſito, diſputare licebit,

Diſpu-

III.

Disputationes Juridicas menstruas Facultatis Juridicæ Professor junior habebit, sub mulctâ octo Thalerorum, pro intermissis singulis disputationibus solvendâ.

IV.

In alijs quoq; Facultatibus prout earum Decani constituent disputationes publicæ crebriores interponentur.

V.

Lectiones & disputationes privatæ non solis Professoribus publicis, sed & alijs Doctoribus & candidatis, qui eruditionem suam reverendo Concilio, vel Facultatum Decanis testatâ fecerunt, diebus & horis illis, quibus publicè non docetur, permissæ erunt. Imò Doctores, Licentiati, & Magistri, qui in Professorum numero non sunt, neq; lectiones publicas audiunt, si membra Academiæ esse, & Privilegijs uti frui velint, singuli singulis Semestribus unam ad minimum disputationem habebunt, vel materiam aliquam Theologicam, Juridicam, Medicam, aut Philosophicam ex Decanorum præscripto diebus extraordinarijs explicabunt, & ad quosvis actus publicos accedent, sub pœnâ arbitrariâ.

VI.

Theses disputationum exhibebuntur breves, nervosæ, graves, ex ipsis doctrinarum & artium fontibus petitæ, nullisq; vel paucis tantum allegationibus confirmatæ.

VII.

Disputationes ultrâ horam duodecimam non producentur, nisi pro gradibus conferendis instituantur; quas velut publicum examen longiùs extendi necesse est. Erit tamen in arbitrio & potestate Decani circa meridiem disputationem abrumpere, & post ad eandem reverti, illamq; absolvere.

IX.

Studiofi opposituri è regione Cathedræ considebunt, & singuli

guli tria vel quatuor argumenta, formis Dialecticis inclusa proponent, & tùm sequentibus disputandi locum dabunt.

IX.

Finito quolibet semestri *ante diem* Tiburtij, & Dionisij, Decani singularum Facultatum Professores, Doctores, Licentiatos, & Magistros ad se vocabunt & mandabunt, ut singuli sub jurejurando, quo Academia devincti sunt, indicent & affirment, utrum Lectionum & Disputationum numerum absolverint, nec nẽ? De toto negotio ijdem Decani *insequente die* Tiburtij & die Dionisij ad Magnificum pro tempore Rectorem & Reverendum Concilium sub pœna arbitraria referent.

X.

Mulctæ ex singulorum Professorum in hæc Leges delinquentium salario deducuntur, ab alijs officium suum non facientibus, viâ executivâ petentur, & in Fiscum Academiae dabuntur, atq; in usus necessarios & utiles, ex Reverendi Concilij decreto conferentur.

HAS Leges ad gloriam DEI, pro dignitate & salute Academiae nostræ, in studiosorum utilitatem scriptas singulis Semeſtribus, quando Leges Academiae usitato ac recepto more proponuntur, simul recitari non solum jubemus, sed & eas operi & effectui trademus, invocato ad id auxilio Spiritus Sancti, sine cujus numine nihil est in homine, nihil est innoxium. Publicata Rostochij XXIV. Octobris. Anni 1604. Et recusa & denuò omnium consensu comprobata & confirmata Anno 1615. Et publicata 4. Junij, Ipsâ Dominicâ Trinitatis.



Cata-

CATALOGUS LECTIONUM
IN UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI
PROPONENDARUM SEMESTRI ÆSTIVO,
ANNI M. DC. XV.

In Facultate Theologica.

PAULUS TARNOVIUS Locum de ministerio verbi & sacramentorum: deq; ministrorum vocatione, administratione, abdicatione, & cæteris quæstionibus eodem pertinentibus explicabit; eoq; absoluto ad doctrinam de Sacramentis progredietur, *hora 9.*

EILHARDUS LUBINUS librum quartum historiæ Evangelicæ hoc semestri, volente DEO, absolvet, diebus ordinarijs *hora 7.* & librum quintum sive ultimum inchoabit. Diebus verò extraordinarijs historiam resurrectionis & ascensionis Christi, cum Deo, ad finem perducet, *hora 8.*

JOANNES AFFELMANNUS in explicatione libri Psalmodum perget, & hoc semestri Psalmos 10. 11. 12. 13. 14. 15. & 16, ea, qua superiores, fide, exponet, additis simul quibusdam observationibus, ad universæ Scripturæ S. intellectum necessarijs, *hora 1.*

JOHANNES TARNOVIUS Prophetiam Joëlis Prophetæ, volente Domino, ex ipso fonte Hebræo potissimum explicabit, analysi illustrabit, locos communes inde breviter eruet, & semestri hoc æstivo per DEI gratiam commentationem hanc ad finem perducet, *hora 2.*

JOHANNES QUISDORPIUS Epistolam Apostoli Pauli ad Ephesios interpretari cæpit, cujus expositionem continuabit, &, cum DEO, hoc semestri æstivo absolvet, *hora 3.*

In

In Facultate Juridica.

ERNESTUS COTHMANNUS Cancellarius, & Academiae Syndicus in locum substituti prioris sufficit *D. Petrum Wasmund*, qui primo quoque tempore, cum DEO, officio suo satisfaciet, *hora 9.*

HAIIO à NESSA Cancellarius suo loco Academiae legibus satisfaciet per substitutum *D. Christianum Obemium*, qui tertiam partem Digestorum disputationibus comprehensam publice examinandam proponet.

ALBERTUS HEINTUS in suscepta explicatione legum difficiliorum Pandectarum perget, quo labore absoluto ad lectionem ordinariam Decretalium redibit, *hora 2.*

JOHANNES SIBRANDUS ex Codice Justiniano interpretabitur librum sextum, & hoc semestri, volente DEO, absolvet materiam de Testamentis, *hora 8.*

THOMAS LINDEMANNUS Actionum materiam & Regulas Juris, cum DEO, interpretabitur, *hora 1.*

JOACHIMUS SCHÖNERMARCHIUS in explicatione libri tertij Institutionum Imperialium versatur, quo absoluto ad quartum, juvante DEO, progredietur, *hora 3.*

In Facultate Medica.

JOHANNES BACKMEISTERUS tractatum de compositionibus medicamentorum continuabit, *hora 8.*

JOHANNES ASSVERUS rationem affectuum praeternaturalium capitis tum cognoscendorum tum curandorum tradet, *hora 4.*

JACO

JACOBUS FABRICIUS librum Hippocratis *περὶ
ἀρχαῖς ἰητρικῆς* explicabit, exq; eo consensum Hip-
pocraticæ & Hermeticæ Medicinæ monstrabit, ad-
juncturus ipsam etiam *ἐχθρίαν* seu rationem Chy-
micè componendi medicamenta, *hora 2.* Præterea
in Euclidè diebus extraordinarijs progreditur, &
primo propediem absoluto libro secundum *ζυῶ οὐδ'*
auspicabitur, *hora 9.*

In Facultate Philosophica.

AZARIAS STURTIUS ea quæ restant in Tacito ad
finem perducet, quibus absolutis ad Salustium se con-
vertet, *hora 2.*

MARCUS HASSÆUS Hebrææ linguæ Professor una
cum Grammaticâ Dn. Schindleri, ea quæ restant in
Proverbijis Salomonis hoc semestri æstivo absolve-
re conabitur, *hora 8.*

JOHANNES POSSELIUS absoluto Theognidè Aja-
cem Sophoclis interpretari incipiet, *hora 9.*

JOHANNES SIMONIUS libros Ciceronis de officijs
exorsus porro interpretabitur, dabitq; operam ut
librum primum hoc semestri æstivo absolvat, *hora 4.*
In publicis quoq; oratorijs Collegijs celebrandis,
σω οὐδ', perget.

PETRUS SACHSE, Libros octo Topicorum, & duos
libros Sophisticorum Elenchorum Aristotelis, Deo
juvante, hoc semestri æstivo absolvet, *hora 7.*


GEORGIUS DASENIUS proponit adhuc Arithme-
ticam Gemmæ Frisij, quâ ad finem feliciter per-
ductâ,

ductâ, Sphæricæ doctrinæ explicationem, postea
volente Christo suscipiet, *horâ 12.*

JOHANNES SLEKERUS examine Physices Kecker-
mannianæ ad finem perducto, ad Aristotelem re-
versus, quæstiones insigniores, & ad usum noti-
tiamq; publicam accommodatas ordine percurrer,
atq; hoc semestri Acroasin cum libris de cœlo ab-
solvere studebit, *horâ 3.*

ANDREAS HELVVIGIUS, in Sermonum Horatia-
norum libro secundo versatur adhuc, quo peracto
Epiſtolas quoque Horatianas sumet explicandas,
horâ 8.





ingerant, & cum alijs studiosis eodem convictu & contubernio
 tantur, etiam in illorum mensis, qui nostri ordinis sunt, toleren
 & forveantur, qui non sunt inscripti; & omnem petulantia
 nequitiam passim exercentes accusati comparere & suos
 stratui sistere detrectant; Eos monemus & jubemus se
 ut intra octo proximos dies nomina sua professi jurame
 mie præsisto se actualia Academia membra esse & for
 aut eorum nomina ad valvas Academia publico P
 ut hactenus cum talibus agi consuevit, adfixa n
 significabimus tanquam fucos & spurios ad no
 riam idem etiam in illorum Patriam ad par
 tronos perscribemus. Et ne hæc vanas m
 ant, brevi & fortè opinione suâ citius ha
 illos cavere, quàm experiri. Cam etia
 alios, qui nomina sua quidem professi
 negligant, quotidie Batcho aut eti
 trimonia sua flagitiosè prodigant
 cujus causa huc à suis missi sunt
 leges, que non frustra late, qu
 illis processuros, ad illorum
 riam perscripturos, &
 illos, tanquam Academ
 patriam, & ad suos
 Academia per DE
 juventuti in om
 cere possunt, &
 junioris studi
 in quoquã
 ordinarij
 alia pr
 exer
 m

Cumq; hoc tempore nostra
 iris instructa sit, qui studiosa
 partibus per omnia publicè suffi
 unt, nec quidquam illorum, que ad
 uoquo modo sint necessaria, in posteru
 Conclusum jam & decretu est, ut diebus
 fores Publici docent & legunt, omnia
 lectionum, disputationum, aut aliorum
 s intermittantur, nec ulli penitus imposte
 r. Nullum etiam deinceps pro studioso esse ha
 bendum

